

tamen ab ea exeat actio, impossibile est omnino:

QUARTA CONCLUSIO : VIRTUS INSTRUMENTALIS CONSISTIT IN MOTIONE.

CCCLXXXIV. Quarto dicendum est, instrumentum constitui in actu primo per motionem receptam a Deo, quæ motio sit virtus creata per modum motionis, seu intentionis, et per modum transeuntis communicata instrumento.

CCCLXXXV. Hæc videtur esse mens D. Thomæ, qui perpetuo asserit virtutem communicatam instrumento, communicari illi per modum transeuntis, et intentionaliter, ut in hac quæstione LXII, art. I et IV, et in IV, dist. I, quæstione I, art. IV, et quæstione XXVII de veritate, art. IV, et alibi sæpe, ubi sanctus doctor semper ponit hanc differentiam inter causam instrumentalem et causam principalem, quod : « Causa principalis agit per virtutem suæ formæ; causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti : » et addit adhuc D. Thomas : « Quod quia instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente, quod per se operatur, ideo virtus principalis agentis habet esse permanentem, et completum in natura : virtus autem instrumentalis habet esse transiens de uno in aliud, sicut motus est actus imperfectus ab agente in patiens. » Motio autem ista non est motio ex parte effectus, quasi fieri ipsius, sed ex parte causæ, quia debet ordinare ipsam in effectum, quia ut dicit D. Thomas III parte, quæstione LXII, art. IV ad primum : « Per istam vim spiritualem ordinatur sacramentum ad effectum spiritua-

lem, » sed dicitur motus, quia est ens quoddam incompletum, et virtus non assimilativa effectus ad se, sed ad causam principalem, cujus vices gerit, unde reductive est qualitas, et a D. Thoma reducitur ad gratiam, quam producit, in IV dist. I, quæstione I, art. IV, quæstione II. Vide D. Thomam III de potentia, art. VII ad septimum, et XXVII de veritate, art. IV, ubi explicat hanc motionem per hoc quod sit : « Institutio, sanctificatio, applicatioque sacramentorum, » et in præsentis articulo quarto : « Quod sit ordinatio ad effectum spiritualem, » quod conjunge cum his, quæ docet I p. quæstione CIII.

CCCLXXXVI. Ex quo conficitur argumentum : Nam virtus principalis agentis est id, quo constituitur in actu primo ad effectum producendum : ergo et virtus instrumenti est actus primus, quo constituitur instrumentum. Rursus : Sed virtus in instrumento non est virtus formæ, sed virtus motionis, qua movetur a principali agente ; ergo actus primus in instrumento non est aliqua forma, ut extrinsecum quid, sed aliquid per modum motionis.

CCCLXXXVII. Et ratio hujus est, quia instrumentum necessario debet habere pro effectum aliquid excedens propriam virtutem, et propriam formam agendi : si enim non operetur aliquid ultra propriam virtutem, non operatur instrumentaliter, et ministerialiter tantum, sed principaliter, et quantum attingere ex propriis potest ; ergo in eo in quo instrumentaliter operatur, oportet quod virtute aliena operatur ; sed non virtute aliena sibi permanentem data et communicata ; ergo per modum motionis et transeuntis. Minor patet, quia si communicaretur sibi per modum permanentis talis virtus, vel ipsa communicata indigeret nova elevatione instrumentali, ut in-

strumentaliter operaretur, vel non indigeret nova elevatione instrumentali, sed solo concursu ad actum secundum, si indiget nova elevatione instrumentali : ergo illa virtus permanens non datur ut constituatur in actu primo instrumentali, si quidem posita illa virtute permanente, adhuc non intelligitur elevatum instrumentum ad operandum instrumentaliter, et consequenter neque motum instrumentaliter a principali agente ; et sic non est in actu primo instrumentali, sed solum habet dispositionem ut elevetur.

CCCLXXXVIII. Sicut sacerdos habens characterem per modum permanentis, non est per illum in actu primo ad consecrandum, sed per elevationem, qua ad talem actionem elevatur, licet per characterem fiat capax ut elevetur ; igitur quousque instrumentum constituatur elevatum per modum causæ principalis, non constituitur in actu primo instrumentali, si quidem instrumentum quamdiu caret elevatione ad effectum principalis agentis, non habet positivum ordinem et proportionem cum effectum : ergo neque est in actu primo, si quidem quamdiu caret elevatione, est adhuc in inferiori ordine ad effectum, et per elevationem trahitur ad id, quod est extra se, seu ultra se ; ergo quousque elevetur non est in positivo ordine, et actualitate sufficienti ad effectum, et consequenter neque est in actu primo respectu effectus. Si ergo per qualitatem illam permanentem nondum est elevatum instrumentum, sed ad hoc indiget elevatione, non est in actu primo, et in actualitate qua exire possit actio instrumentaliter, quousque elevetur.

CCCLXXXIX. Si vero posita illa virtute permanente non indiget elevatione, sed solo concursu ad actum secundum, operatur per illam vir-

tutem tamquam per formam, quæ in actum reducitur, et per illam assimilare sibi debet effectum, et sic agit ut causa principalis ; oportet ergo quod communicetur hæc virtus per modum motionis.

CCCXC. Præterea, quia cum certum sit actum primum et secundum debere proportionari positive, cum secundus exeat positive a primo, et constet actum secundum et effectum esse elevatum supra totum id, quod formaliter habet instrumentum, necessarium etiam est, quod actus primus elevatum reddat instrumentum in ordine ad illum effectum ; elevatio autem ista instrumenti nequit permanentem esse in instrumento, et per modum formæ, sed per modum motionis ; tum in instrumentis corporeis, in quibus elevatio ad supernaturale et spirituale non potest esse per modum formæ, et inhærere illis ut forma in subjecto ; tum ex ratione communicationis instrumentalis, quia id quod est principium agendi ut forma, semper est id in quo debet assimilari effectus ipsi agenti ; alias frustra per formam diceretur agere, aut producere effectum, si talis effectus non assimilatur tali principio formali, sive perfecte et secundum adæquationem, ut in causis univocis ; sive inadæquate et imperfecte, ut in æquivocis. Effectus autem nunquam assimilatur instrumento, sed causæ principali ; ergo non supponit in instrumento principium formale agendi, et consequenter neque formam elevantem ipsum instrumentum, ut per illam tamquam per principium agendi operetur ; ergo solum per motionem constitui potest in actu primo, seu per aliquid quod non se habeat permanentem ut forma, sed transeunter ut motio.

CCCXCI. Ac denique, quia instrumentum in agendo instrumentaliter dependet a causa principali, et so-

lum secundum ejus motionem agit ut aliquod ministerialiter deserviens; ergo non debet virtutem operandi habere in se, eo modo quo causa principalis; igitur si causa principalis habet virtutem per modum formæ, non debet communicari instrumento, ut instrumentaliter agat etiam per modum formæ; sed solum per modum motionis et transeuntis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Quæ probant eam virtutem in sacramentis non esse motionem.

CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM,
POSITAM PRO QUARTO MODO.

An motio sit per modum auxilii, sufficientis vel efficacis, prævi vel simultanei, et cum quo effectu identificatur?

CCCXCII. Primo arguitur: Instrumentum nequit constitui in actu primo ad agendum per concursum actualem, et in actu secundo se habentem; ergo per aliquid antecedens concursum actualem; ergo non per motum et motionem. Antecedens probatur, nam instrumentum prius debet esse in actu primo, quam agat in actu secundo; ergo non potest constitui in actu primo per concursum in actu secundo. Consequentia vero probatur, quia si constituitur in actu primo antecedenter ad actum secundum, et non potest constitui per actum secundum, necessario oportet quod constituatur per aliquid antecedens actum secundum, et concursum actualem. Rursus: Sed motio illa Dei non est aliud quam ejus concursus actualis; ergo per motionem non potest constitui in actu primo instrumentum, sed per aliquid antecedens motionem. Antecedens pro-

batur, nam motio Dei movens instrumentum, non est per modum auxilii sufficientis, seu dantis potentiam, sed per modum efficacis motionis; ergo est per modum concursus actualis, et in actu secundo.

CCCXCIII. Et confirmatur, quia si illa motio non est per modum concursus actualis; ergo posita illa motione in instrumento, indigebit instrumentum novo et distincto concursu superveniente motioni, ut reducat ad actum secundum; et sic per motionem constituitur instrumentum, ut in potentia reducibili ad actum secundum, sicque operabitur per illam sicut per formam.

CCCXCIV. Confirmatur secundo, quia si motio divina esset tota virtus agendi in instrumentis; ergo instrumenta hæc, præsertim inanimata, non agerent omnino, quia auxilium hoc non est in ipsis instrumentis, ac adeo neque per illud dicitur agere: quod patet, quia auxilium hoc, seu concursus actualis, est actio quæ identificatur cum effectu, seu termino talis actionis; effectus autem, seu terminus extra instrumentum est, ergo non identificatur cum instrumento, sed cum effectu extra, et sic per illud non agit instrumentum.

CCCXCV. Et confirmatur tertio, quia præter virtutem increatam Dei, et motionem ipsam in actu secundo, non datur alia motio constituens in actu primo instrumentum, si quidem per actualem operationem causæ principalis subordinantis sibi instrumentum, illud operatur effectum suum: ergo præter operationem Dei in actu secundo, et virtutem increatam, non est alius actus primus; sed per motionem ipsam, seu operationem non constituitur instrumentum in actu primo, quia operatio hæc non est virtus ad agendum, sed actio ipsa fluens a

Deo; neque est in instrumento, sed identificatur cum termino, seu effectu cujus est operatio et actio; ergo per illam non constituitur instrumentum in actu primo ex virtute ad agendum; nec per increatam virtutem Dei, quia hæc non est intrinsece in instrumento, sed extra; ergo non est per quod constituatur intrinsece in actu primo instrumentum.

CCCXCVI. Respondetur ad principale argumentum, motionem constituentem instrumentum in actu primo, et communicantem illi virtutem causæ principalis ad agendum, non distingui entitative ab actu secundo causæ principalis, concurrentis actualiter ad effectum, sed illam et actionem habere duplicem formalitatem, nam respectu instrumenti est elevativa et communicativa virtutis per modum actionis et motus; respectu vero effectus est productiva concurrente cum instrumento, ut secundum ejus modum exeat productio effectus ab instrumento.

CCCXCVII. Itaque ille motus seu concursus, non est solum productivus effectus, sed virtuosus, seu virtutem præbens inferiori, secundum eandem rationem motus, ut efficiat eundem effectum. Et ratio hujus est, quia instrumentum non habet aliquam formam, qua influat in effectum, et cui correspondeat peculiaris gradus in effectu, sicut habet causa principalis; in effectu vero instrumenti totum correspondet moti et activitati causæ principalis moventis, quantum ad omnem gradum qui in effectu relucet; igitur non indiget alio auxilio seu concursu elevante, alio vero productivo effectum; sed qui elevat, debet producere effectum. Patet consequentia, nam illa elevatio non communicatur instrumento per modum formæ, cui effectus correspondeat in suo genere, sed per modum

actionis et motus; non ergo debet indigere alio motu et concursu, ut reducat in actum secundum talis elevatio, seu instrumentum sic elevatum; alias elevatio illa non per modum actionis, seu motus conveniret instrumento.

CCCXCVIII. Et præterea, quia talis elevatio nec datur instrumento, ut infundat ei formam per quam agat; nec ut actuet et reducat de potentia ad actum formam, quam præhabeat (hoc enim proprium est causæ principalis) et alias datur per modum motus et actionis; ergo non debet entitative distingui ab actione in actu secundo, ideo enim distinguitur tale auxilium, seu motio in causa principali ab operatione in actu secundo; quia cum causa principalis active habeat ex propria forma concurrere ad effectum, motio illi superveniens a causa superiori, non datur illi ut per modum motionis se habeat ad effectum, sed ut in ratione formæ compleatur, et reducat ad actum ultimo requisitum ad operandum. Unde cum totum hoc se teneat antecedenter ad operationem ex parte formæ, et intra latitudinem actualitatis formæ ei communicetur, oportet quod sicut forma distinguitur entitative ab operatione, ita et ultima perfectio, seu actualitas in ratione formæ distinguatur ab operatione; quod quia in instrumento non currit, cum nullo modo se habeat active ad effectum secundum rationem formæ, nec oportet actuari in ratione formæ per aliquid entitative distinctum ab operatione, sed per ipsam operationem et elevatur instrumentum, et producit effectus.

CCCXCIX. Et præterea, quia concursus ille secundum quod terminatur ad instrumentum, non habet ibi ultimum quod intendit producere, alias poneret formam aliquam in instrumento, quod postea indi-

geret novo influxu, ut reduceretur de potentia ad actum; sed solum ponit ibi aliquid per modum motionis et transeuntis ultra; ergo terminus illius concursus fixus et permanens, et qui sit ultimus, extra instrumentum debet esse, et sic ille concursus datus instrumento, et elevativus ejus, respicit pro termino aliquid extra instrumentum, et sic est concursus in effectum, ac adeo est simultaneus, et non solum prævius, qui sit in causam, et non in effectum; et sic ille concursus facit prodire actionem ab instrumento, non ut a motione, identificaturque cum instrumento per modum transeuntis, et cum effectu per modum termini et ultimi.

CD. Nihilominus re melius inspecta, existimo concursum elevativum instrumenti, seu motionem non esse concursum simultaneum, neque identificari cum illo, sed cum prævio, quia concursus simultaneus est præcise ad effectum, et fundatur in dependentia effectus a causa prima; prævius autem fundatur in dependentia causæ inferioris a superiori; cum ergo elevatio detur non effectui, sed instrumento, pertinet ad prævium concursum, et explicatur sic: Instrumentum duplici modo est causa inferior ad Deum, et respectu suæ principalis actionis, cujus est causa secunda, et respectu actionis elevatæ; et sicut actuatur per concursum prævium in ordine ad actionem propriam, sic actuatur ipsa virtus elevatione ultra propriam activitatem, ut exeat actio elevata. Per illam ergo actuationem seu motionem, qua Deus causam istam secundam actuat prævio concursu ad efficiendum propriam actionem, addit confortationem majoris activitatis per modum motionis, seu concursus prævii, et sic elevat instrumentum; concursu vero simultaneo concurrat ad effe-

ctum principalem, et etiam ad effectum proprium instrumenti; non tamen est necesse, quod præter illam motionem physicam concursus aliqua virtus seu qualitas (etiam transiens) producat in instrumento, ut advertit Cajetanus hic articulo quarto, sed ipse concursus prævius receptus in causa est motio importans activitatem.

CDI. Vide Cajetanum in p. quæst. LXII, art. IV et Navarrete II tom. contro. XV, §. VII. Nec est inconveniens quod illa productio habet duas formalitates (scilicet elevantis et producentis) quia causa principalis, quando concurrat cum instrumento, non simplici productione tendit ad effectum, sed productione subordinativa instrumenti, et subordinando productiva effectui; et ideo quando dicitur quod motio illa est per modum concursus actualis, distinguo; per modum concursus actualis simplicis, nego; per modum concursus actualis subordinantis sibi instrumentum, et sic tendentis ad effectum, concedo; unde non datur ut sufficiens auxilium, sed ut efficax motio; non tamen simpliciter tendens ad effectum, sed subordinans sibi instrumentum. Et sic salvatur quod illa motio sit prævia ad actionem, non entitative, sed formaliter, quia in quantum elevat instrumentum, habet se instrumentum passive respectu illius, et ut sic adhuc non intelligitur active, et consequenter neque in actione. Oportet ergo quod motio illa, ut elevatio, præcedat actionem et influxum in effectum.

CDII. Sed quomodo inquires: Influxus ille, qui procedit a causa principali per modum actionis et concursus, fit actio propria instrumenti, ita ut exeat ab instrumento, cum omnis actio (etiam instrumenti) debeat exire ab agente, respondetur, quod si illa actio simpli-

citer tenderet ad effectum a causa principali, difficile esset explicare, quomodo fiat instrumenti, et ei communicetur. Cæterum illa actio, quæ ut procedit a Deo est simplicissima, cum sit actio increata; tamen ut se tenet ex parte creaturæ, et habet rationem motus respectu instrumenti, et rationem productionis respectu effectus, et sic movet instrumentum, ut ab illo exeat actio virtuosa supra virtutem propriam, ut tendat ad effectum simul cum actione Dei; sicut etiam quando Deus adjuvat causam principalem inferiorem, actione sua movet causam, redditque actuatam: et iterum simultanee cum ejus actione concurrat ad effectum, postquam prius concurrat ad causam: sic in instrumento, ad quod duplex concursus facit in principali, facit unicus in instrumento, cum duplici formalitate, quia movetur a Deo actione virtuosa, et supra naturam instrumenti; et ita pro quanto illa actio ex parte creaturæ etiam est motus; dat istam elevationem instrumento, ut actio exeat ab ea supra virtutem suam; sed hæc actio identificatur cum simultaneo concursu Dei ad effectum, qui entitative non distinguitur a motione elevante.

CDIII. Et si adhuc instes: Nam motio illa, seu actio et concursus Dei, ut motus, est in instrumento; concursus autem simultaneus est in effectum, cum quo identificatur, effectus autem instrumenti extra instrumentum est: ergo entitative distinguuntur motus ille, ut elevans, et concursus simultaneus cum tali instrumento elevato, respondetur, quod concursus ille simultaneus, qui cum productione simul tendit ad effectum, non tendit simpliciter ad effectum, sed elevando simul instrumentum; et ideo non est inconveniens identificari cum duplici effectum, quia virtualiter duplex actio

est, cum sit actio elevativa; præsertim, quia isti effectus non sunt disparati, sed ordinate se habentes, et non identificantur cum utroque eodem modo; sed cum uno per modum motionis, et cum alio per modum effectus; et iste exit ab illo, et continuatur productio effectus cum motione instrumenti; et sic non est inconveniens, quod ab eodem entitativo concursu virtualiter duplici prodeant hi duo effectus ita ordinate se habentes. Dicendum itaque, quod si motio ut est in instrumento et effectum, esset duplex terminus completus et adæquatus, tunc non posset identificari cum utroque eadem actio; cæterum illa actio habet pro termino incompleto et initiativo elevationem passivam instrumenti, et pro completo et adæquato effectum extra; et ideo una actio sufficit ad utrumque.

CDIV. Habet ergo ille concursus duplicem effectum entitative, scilicet elevationem passivam instrumenti, quæ est communicatio virtutis principalis agentis per modum motionis; et effectum ipsum ordine quodam consequentem ad motionem. Non tamen concursus est duplex, sicut nec effectus, sed unus et idem, quia a causa principali non prius procedit concursus ad instrumentum, et inde ad effectum, sicut ad causas principales; quæ quia in ratione causæ actuari debent, prius est concursus ad ipsas, deinde ad operationem et effectum; at vero in causas instrumentales, quia non actuari in forma sua, sed elevari debent ultra formam suam, ipse concursus qui a Deo exit ut productio effectus, habet elevare instrumentum, et cum sic elevato concurrere ad effectum; et ita habet ille concursus effectum in instrumento (scilicet elevationem passivam) et effectum extra instrumentum, non tamen concursus unus sistit in ele-